

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
ab Ad-||uentu vsque ad Festum Pascæ in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE INNOCENTVM EVANGELIVM Matthaei 2.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150424

POSTILLA F. IOANNIS FERI
IN DIE INNOCEN-
TVM EVANGELIVM

Matthæi 2.

ECce angelus Domini apparuit Ioseph in somnis dicens: Surge, & accipe puerum & matrē eius, & fuge in Ægyptū, et esto ibi vsq; dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendū eum. Qui confurgens accepit puerum & matrem eius nocte: & secessit in Ægyptum. Et erat ibi vsq; ad obitū Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentē: Ex Ægypto vocaui filium meum. Tunc Herodes vides quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra: secundum tempus quod exquisierat à Magis. Tūc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetā dicentem: Vox in rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorās filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

EODEM FESTO EPI-

stola Apocalyp. 14.

ET vidi: & ecce agnus supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia habentes nomen eius & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de celo, tanquā vocem aquarū multarum, & tanquā vocem

vocem tonitruū magni: et vocem quam audiri sicut citharæ dorum citharæ antiū in citharis suis. Et cātabant quasi canticū nouū ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo & agno: & in ore eorum non est inuentum mendaciū. Sine macula enim sunt ante thronum Dei.

PRIMVS SERMO,

Cur Innocentium memoria in
hac hebdomada fiat.

PRæcedentibus D. Stephani & Ioannis festiuitatibus rationes ostendi, cur hæc festa hac hebdomada celebret, & quid horum dierum & institutione & obseruatione velit Ecclesia: restat igitur de hodierna festiuitate nonnihil loqui, & cur hac octaua celebretur. Sed nullam hic huius diei peculiarem rationem reddo, præter eā quæ in præcedentibus posita est. Nēpe, quod Christus primogenitus esse voluerit in multis fratribus, nec minus lucri adferre mortalibus, quā damni importauerit Adā. At certū est omnes homines in Adā vitiatos, etiam ipsos infantulos, vt Paulus testatur. Ideoq; gratiam suā secundus Adam effundere in omnes voluit. Quando ergo infantes maledictionis in Adam non sunt vacui: cur non & benedictionis in Christo essent capaces? Quando ipse Deus ait: Omnis anima mea est. Vt anima patris, ita etiam anima filij mea est. Nec ad Abraham dicit tantum: Ego Deus tuus, sed addit etiam: & feminis tui, hoc est, posteritatis tuæ. Idem etiam per Ioēlem promisit. Et erit, inquit, in nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filia vestra, &c. Sed & Paulus testatur, quod Deus omnes homines velit saluos fieri. Quin ipse saluator, Omne (inquit Ioan. 6.) quod venit ad me, non

Rom. 8.

Rom. 5.

Ezech. 18

Gen. 17.

Ioel. 2.

1. Tim. 2.

Marc. 10. eijciam foras. Id quod non tantum intelligendum est de ijs qui sponte veniunt ad Christum: sed etiam de his qui ab alijs quoquo modo ad Christum perducuntur. Hos etiam nolit aspernari, vt alio loco dicit: Sinite illos venire ad me, & nolite prohibere eos: quoniam ipsoꝝ est regnum cœlorum. Eodem loco dicitur, quod Christus infantes cõplexus sit, imposuerit manus super eos, & benedixerit eis. Euidens certè indicium, etiam infantes pertinere ad CHRISTVM. Arque ideo mirandum est minime, eorum quoque in hac septimana fieri memoriam.

Psal. 8. In his ergo sat occasionis cuilibet pio meditandi quæ sit ineffabilis Dei bonitas, in cuius admiratione merito cum Dauida exclamamus: Domine quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum. Quin hoc festum non solum ad laudandum Deum te incitabit, verumetiam vt liberos tuos quàm commodissime Christo adducas, qui plurimam illorum curam gerit, & apud quem nulla inuenitur malitia, præter quæ nulla præstò est bonitas. Ille lux, salus ille, via veritas & vita est: eum quicumque sequitur, in tenebris non ambulat: & qui in eo manet, non peribit in æternum.

Ioan. 8. Et hæc ratio sufficiat, cur hac Octaua natalis quoque Innocentium celebretur. Nulli profectò pio obscurum erit iustam huius festi rationem esse. Nec quisquam miretur, hanc præsentem lectionem Euangelij non perinde lætis sonare voculis, vt præcedentium dierum Euangelia. Nam omne illud quod inde hucusque audiuius ab angelis, à pastoribus, à Stephano, ipsoque **Matth. 2.** Ioanne, plenum gaudij est. Quibus omnibus CHRISTVS gaudium lætitiæque attulit. At hæc præsens lectio, non nihil tragicum habet. Videntur enim nobis hi Innocentes non modo nullum ex Christi incarnatione commodum, verumetiam plurimum damni habere, quod sine culpa tam truculenter sine omni misericordia interimuntur. Sed nemo scandalizetur. Nam quicquid sæuiens Tyrannus in illis hostile prosequutus est, non ad perditionem, sed ad salutem ijs seruauit. Compendiosissima enim ad Deum via est, pro **Matth. 5.** Christi mori nomine. Beati, inquit CHRISTVS, qui per-

persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Plus hostis ille truculentus sua profuit illis Tyrannide, quàm si voluisset, omnibus suis diuitijs, maiestate, honoribus potuisset commodare.

In summa, quicquid Euāgelij hæc lectio tristius proponit, ipsum Epistolæ vice decantata lectio rependit. Ecce, inquit Ioannes, vidi agnum supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Scripta quidem isthæc visio est de omnibus credentibus in genere, nec quicquam peculiare de nostris innocentibus refert: sed non incongruè eis applicatur, quod quædam in ea verba, nulli præter nostris infantibus conueniunt melius. Vt cum dicit Ioannes: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Et iterum: Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo & agno: & in ore eorum non est inuentum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum Dei. Nemo negauerit hæc verba perappositè infantibus conuenire. Si ergo miserandum arbitraris, quod de ijs in Euangelio lectum est, sume ad manus lectionem Epistolæ, & compensatum videbis totum. Primo enim licet Matthæus testetur, Herodem occidisse eos in Bethleem, & in omnibus finibus eius: Ioannes tamen dicit se eos in monte Sion vidisse, qui mons sempiternæ beatitudinis imaginè gerit. Quid igitur mors nocuit, quæ illis corporalis tantum, vitæ æternæ ianua fuit & introitus? Secundo, idem Ioannes testatur quod eos cū agno, hoc est, cum Christo viderit: Id certe illis beatius fuit quàm sub isthoc Tyranno in terris morari diutius, qui nec propria vxore, suisque ex seipso genitis liberis nefarias manus abstinuit. Tertio idem Ioannes refert, quod Christi nomen scriptum habuerint in frontibus suis, id quoque maiore commodo & honore, quàm si cū sui generis hominibus in sacrosancto se Christi sanguine coinquinassent, cum iisdè vociferati fuissent: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Id quod potuisset euenire, si ad Christi passionis tēpora vixissent. Profuit ergo eis insensissimus Tyrannus hoc ipso, quod à truci

Apoc. 14. 187

Matth. 2.

Matt. 27.

Sap. 4. lentissimo nefandissimoq; facinore eos præsueravit. **Ra**
Ephes. 8. pri sunt, ne malitia mutaret mentem eorum. Quarto, e-
 tiam nomē Dei ipsos in frōtibus habuisse vidit, Dei in-
 quam, qui genuinus parens est, super omne quod Deus
 dicitur in cœlis & in terra. Nullum ergo, aut certē per-
 exiguum damnum quod externis orbi sunt parentibus.
Luc. 11. Qui enim si superfuissent ipsorum parentes eis commo-
 darent? At Deus verē pater est, qui hic & in sempiternū
 commodare potest, vt Christus ait: Noli timere pusillus
 grex, quia complacitum est patri vestro dare vobis re-
 gnum. Quinto, Ioannes testatur se audiuisse eos canen-
 tes nouum carmen: & hoc rursus maius quid est, quod
 ipsis hic in terris potuisset contingere, vbi nec fari, ne
 dicam cantare potuissent. Postremō, nec ambulare pedū
 officio potuerunt, quia bimī: at Ioannes eos vidit sequē-
 tes agnum quocunque iret.

Ioan. 11. Quid igitur beatius, quā à terra in montem Sion,
 hoc est, in æternam fœlicitatem sublimari? Quid latius
 quā esse cum Christo, qui & vita & resurrectio est?
 Quid tutius, quā Christi Dei que nomen in fronte
 scriptum gerere? Quis enim huiusmodi homini ali-
 quod inferet damnum? Turris fortis & arx munita est
Pro. 10. nomen Domini omnibus in eum sperantibus. Tum e-
 tiam in Apocalypsi traditur, hos tantum à seuera iusti iu-
 dicis seruari sententia, quibus Dei signum in frontibus
Apoc. 1. inscriptum est.

Demum, quid sublimius, quid fidelis optaret melius,
 prater cum Christo omnibusque electis nouum cantu-
 cum decantare? quod nemo potest, nisi electi tantū. Hoc
 autem totum hi Innocentes consequuti sunt. Quid ergo
 Tyrannus nocuit? Quin maximē profuit, quum ad cœ-
 los misit, ad Christum, ad Deum, ad angelorum electo-
 rumque hominum consortia præmisit.

Ioan. 1. Hac ergo ratione perspicuum arbitror fit, natiuitatem
 Christi, non solum nihil obfuisse his innocentibus, ve-
 rum etiam plurimum profuisse. Constanti ergo veritate
 durat, quod Ioannes scribit: Vidimus gloriam eius, glo-
 riam quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate:
 ita planē, vt omnes de eius plenitudine accepimus, gra-
 tiam pro gratia. Per Moſen enim lex data est, gratia au-
 tem &

tem & veritas per Iesum Christum. Confiteamur ergo hodie Deo, qui talem nobis proposuit Principem. Sub huius militemus signis, qui nequitiam seducet. Qui se- Ioan. 8.
quitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Hæc dicta sint, vt videamus hanc festam diem vt lugubrem teneat historiam, non sine causa, imò magnis rationibus lætæ Christi Natalis festiuitati subnexam esse. Deus Opt. Max. omnibus nobis gratiam suam largiatur, vt salutifera Christi natiuitate participemus omnes, Amen.

SECUNDVS SERMO

*Quid vel in Herode vel in-
fantibus cogitandum.*

DVo hominum genera in hac Euangelica lectione nobis proponuntur admodum inter se disparia, sed multam cogitandi materiam subministrat. Illic Herodes Tyrannus sæuissimus: hic Innocentes pro Christi gloria mortem perpessi paruuli. Vtunq; genus pius quisque cogitabit sedulo, id quod non paruo fiet commodo. In Herode non tantum sæuissimum quod perpetravit facinus cogitandum est, verumetiam & maximè infensissima Satanæ, qui huc infelicem hominem illum pertraxit, cogitanda ira est.

Diabolus, inquam, verus huius latrocinij author est. Timebat enim suæ potestati, quem in homines inquisi- Gen. 3.
simè susceperat. Nouerat quoque interminationem in se edictam, quod tandem aliquando caput suum esset pessundandum, baculum quo populos cædebat contem- Isai. 15.
rendum, vim qua totum mundum sibi subegerat aufere-
rendam, per Christum, insuper seipsum quoque ad inferni abyssum detrahendum. Hæc timuit, atque ideo eâ excitauit tragediam, ratus inter cæteros se Christum quoque interempturum, à quo solo sibi timuit. Id quod deinceps obsessos relinquens vel inuitus fateri coactus est. Quid tibi & nobis, exclamabant, Iesu Dei soboles: Marc. 1.
Venisti ante tempus perdere nos. Præuenire igitur vo- Luca. 4.
luit nequissimus. In hoc Herodem in tantam crudelitatem, in horribilè immanitatè excitauit. Sed nequicquâ fudat, frustra que laborat. Per Christum Deus humano generi opitulati proposuerat, hoc nemo impedire valebat.

Iam in via erat, in itinere pergebat pius Pastor perditam ouem quærere.

- Luc. 15. Hoc primum quod in hac historia cogitandum proponitur: nempe, Satanam verum esse huius rei autorem, qui semper operatur in filiis diffidentia. Nunc porro huius instrumentum examinemus Herodem. Atque hic mox considerabimus, quæ mundi huius liberorum natura sit. Statim enim nato Christo, contra eum mundus sauire incipit. Odio habuerunt me gratis, inquit saluator.
- Ephe. 2.
- Ioan. 5.

Primus contra Christum sauientium Herodes est. Timebat regno suo, quod non iustitia, sed mera obtinebat Tyrannide. Seipsum in illud vi intruserat: sic habéas regni moderabatur, ut nemo amicus, hostes omnes, nec quicquam quam exurgente alio Rege, omnium à se de scissionem sperare ausus fuit. Nō ergo sibi fabula lusus, alium Iudæis nasci regem. Hoc primum: aut Christum occidere, aut omnes infantes vnā intiermere. Exclamat amens nuncio, inquit Prudentius, Successor instat pelli-mur, satellites in ferrum rape, perfunde cunas sanguine. Quia regem nescit, multorum occisione quærît. At quid expediuit? Idipsum quod Pharao quondam, qui ut Hebræorum vires diminueret, omnes recens natos volebat mersos. Vtut autem plurimos merferat, Moses tamen elabitur, qui Tyranno regnum simul & vitam eriperet. Imò videret oportuit, & enutrirî in aula cum, & à filia in filium adoptari. Idem effecit Herodes, qui Martyres facere, fugentes perfodere, nō Christum inuenire quem quærîtabat, potuit.

Exod. 1.

Exod. 2.

Quaquam autem plus Innocētibus commodi quam incommodi attulerit, qui nec potuisset omnibus suis diuitiarum copijs tantum bonum adferre, quantum immana illa Tyrannide attulit. Temporaneam vitam sustulit, ad æternam multisque parafangis meliorem transmisit: imò de terra ad coelos, ex Satana Tyrannide: ad Christi regnum transtulit. Sibi ipsi nocuit, licet serius expiraretur tandem. Sed quo suspensa erat vindicta Dei longius, hoc superuenit post horribilius. Nam iusta Dei dictante sententia, in eam deueniebat mentis insaniam, ut propriam vxorem trucidaret & liberos proprios, seipsum quoque cruenta manu occisurus, ni parricidalem alij

de tyrannide

de tyrannide

alij

alii cohibuissent conatum. Nihilominus tandem, quod Tyrannide ad se rapuerat, quod multorum cruore obtinuerat, perdidit, amisit, quin & maiora perdidit, nō temporaneum tantum regnum, verumetiam æternū, ac deum magno cruciatu summa infelicitate, regni sui deponens gubernacula. Dignus profecto Tyrannorum finis, dignum pro meritis præmium, innocentem sanguinem effundentium. Iustus es Domine, inquit Ioannes, Apoc. 16. quia hæc iudicasti: quia sanguinem sanctorū & Prophetarum effuderunt, & sanguinem dedisti eis bibere.

O infanum, O impium hostem te, Christum venire quid times? Non accepit mortalia, qui regna dat cœlestia. Nō eripere alijs sua, sed pius largiri venit propria. Non venit ministrari sed ministrare, & dare animam suā redemptionem pro multis. Spineam, non auream sibi in terris coronam quæsiuit. Non eburneo vehi lectulo, sed crucis suspendi & exaltari voluit patibulo. Sed hæc mundus non cogitat, curat temporanea solum: atque ob id quæ spiritus ac sempiterna sunt, negligit. Vnde necesse est, vtroque careat.

Nobis verò hæc historia plurima cogitandi subministrat materiam. Primo, nihil cōtra Dominū perficere, vllum consiliū, vllam prudentiā, vllāque fortitudinem. Herodes quibus potuit contra Christum vsus est, consilio, dolis, potentia. Sed nequicquam laborat. Secundo, videmus in Herodē quā sit miserē deperdita nobis nostra natura, quā sit in malū prona, vt nihil tam impium quod non attentarent & auderent homines, nisi formido pœnæ, vel aliud quid huiusmodi retraheret. Non enim mentitur Sacra Scriptura, quæ cunctas humani cordis cogitationes ad malum omni tempore intētas esse testatur. Et iterum: Prauum est cor hominis & inscrutabile. Et quid boni ex radice eo modo infecta enasci poterit? Ex corde, inquit Christus ipse, exeunt cuncta mala: adulteria, homicidia, furta, & id genus alia. Id quod clarē in Herode videtur, qui ne quidē erubuit tātum infanticidiū cōmittere, quoslibet ausus suos sequutus cum auderet omnia. Timeamus ergo semper, humilitatis memores, nemo sibi quicquam boni ascribat: sed illi, qui & velle & perficere in nobis operatur, Nemo

Prou. 21.

Gene. 6.

Hiere. 17.

Matth. 15.

Philip. 1.

Nemo se alteri præferat. Nullum enim tam enorme delictum perpetratum ab aliquo, quin idem faciat alter, si benignus conditor manum suam subtraxerit. Atq; ideo merito cum Daniele exclamamus omnes: Tibi o Domi

Danic. 9. ne iustitia, nobis vero ignominia.

*Chm con dnt fuit
ut solus dicitur
ambulator filius
epi domit. vte
vbi hnt in hie
fonti oculi fuit
70. num. vti
Hic. 29
fuit. tunc hnt
In. 8.*

Sapient. 5.

Ephe. 5.

*Alit. 13
vbi nre
nare surrigit
vbi nre pnt. 2
R. 15*

*In hnt vbi nre
vbi nre pnt. 2
R. 15*

Psal. 50.

Psal. 118.

*But que, alit
in Dan. pnt
dnt fuit hnt
dnt fuit hnt
vbi nre pnt. 2
R. 15*

R. 12

Tertio, in Herode consideramus, quam in miseria & cæcitate impij quique sint positi: discurrent huc illuc sæuientes, nihil efficientes: quos haud dubie puderet, si sui que metipsum misereeretur, si cæcitatem ac insaniam suam possent conspicer. Nihil quidem Tyrannus ille efficit, nisi quod se inutili labore cruciat & enervat, haud secus, atque illi, qui in somnis arduis plurimū occupantur negotijs: ex pergefacti, nihil præter lassos se factos comperiunt. Id quod omnes impij tandem aliquando fatentur & dicent: Lassati sumus in via iniquitatis: quid profuit nobis superbia nostra & diuitiæ? &c. Omnia ut vmbra præteriē. Hos benè Apostolica alloquitur autoritas: Exurge qui dormis: exurge à morte & illuminabit te Christus. Et iterū: Nunc tēpus à somno surgere. Nox enim præterijt, dies autē appropinquauit.

Quartò, in eodem Herode videre licet radicē ac fontem omnis mali esse philautian, id est, inordinatum suū ipsius amorem. Quid enim cum ad tantæ sæuitiæ tam horrendum facinus perpetrandum mouit, præter ambitionem & dominandi libidinem? Quia quidem ex causa non solum, verumetiam aliās plurimum effudit sanguinis. Ut vitæ scilicet suæ foueret splendorem per fasque nefasque. Vnde serio & instanter orandus Deus cum Dauide: Cor mundum crea in me Deus, & spiritū rectum innoua in visceribus meis. Et: Inclina cor meum in testimonia tua Domine, & non in auaritiā.

Quinto, in Herode considerare licet, quam calamitatem & perditionem prouincijs regnisq; impius Magistratus importet. Vide enim quā facile incādescat, qui ex vnica causa, eaque admodum leui, & propè nulla, quod non, ut iussit, redierint Magi, horrendum infanticidium exequitur. Quoties nonnulli infāni maleq; cōpti Principes facili de causa eiusmodi illicita bella mouent, quibus prouinciæ perduntur & homines, ac terra humano Christianoque sanguine perfunditur, cuius vel soli

foli ipsi sunt occasio. Hæc ergo multa que alia pius in Herode cogitare poterit.

Contrà verò in Innocentibus considerandum est, nihil esse scilicet, nihil beatius, quàm pro Christi subire mortem nomine, vtut malesanus miseradum arbitratur mundus. Primum enim certum est, ex benigna Dei voluntate fieri, quicquid piè credentibus aduersi contigerit. Quia autem ex bona Dei voluntate venit, indubiè hominum saluti inseruit. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. At ex bona Dei voluntate ea venire, apertissimè Paulus in ea quam ad Hebræos scripsit epistola testatur. Quin ipse Deus asserit. Si filij eius (de Christo loquitur) dereliquerunt legem meam, in virga corripiam eos, misericordiam autem meam nò amouebo ab eis. Ideo & Dauid de maledicente sibi Semel loquitur: Maledicat finite: Dominus mandauit illi maledicere Dauid. Et Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum. Sicut Domino placuit ita factum est. Et iterum: Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem cur non sustineamus. Immittit ergo nonnunquam Deus multa aduersa suis, sed pro sua bona voluntate, & eorum quibus ea immittit commodo, aut vt commissà puniantur, aut ijs probentur, & crescant merita. Neque tamen impij, qui iustam Dei sententiam exequuntur, hoc excusantur. Quod enim pro bona sua voluntate Deus facit, hi faciunt contrà pessima. Id quod hic in Herode videmus perspicuè. Concessit Deus pro bona sua voluntate occidi infantulos, maximo ipsorum commodo, nempe vt æternū viuerent. At Herodes exequutor impio id facit animo. Proinde etià non his, sed sibi cladem intulit. Credentem enim verè, nulla lædit creatura, at à seipso læditur.

Quid enim nisi temporanea auferre poterit creatura? Sed dum ea auferunt, credentis còmodis seruiunt, quod vel delicta eius contegunt & abluunt, aut meritis incrementum tribuunt. Qui vero peccata abluunt, qui merita tua multiplicat, non profecto incommodat, sed vehemèter commodat. Quid his infantulis Herodes damni intulit? Nihil planè. Quid Satan Iob nocuit? Quid Saul Dauid? Quid Nabuchodonosor tribus qui cum Daniele erant

Rom. 8.

Hebr. 12.

Psal. 88.

2. Reg. 16.

Iob. 1.

Iob. 2.

Danie. 3.

le erant

POSTILLA F. IOANNIS FERI

le erant collegis? Quid Diocletianus innumeris Martyribus? Nihil omnino: nisi quod selectissimos Dei amicos, Deo chariores, totiq; mundo honoratiores reddiderunt. Quid ergo est, quo tibi quoq; tuus sua Tyrannide nocebit hostis? Erit forte quod corpori tuo noceat, ac plus propria nocet animæ. Qui enim peccat, &

Psal. 10.
Ezech. 18 iniquitatem amat, animâ suo odio habet. Quin & quælibet anima peccans, morte morietur. Nullus ergo contra hostes tuos tibi querelæ locus relictus est, qui sibi-

Lucæ. 13. metipsis plus quàm tibi incommodant; condolare autè magis decet, quemadmodum Christus cum ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nemo ergo te lædet vere, nisi lædas teipsum. Nemo tibi incommodat, nisi qui tibi Deum præripit, aut eum tibi reddit insensum. Sed hoc nulla creatura facere potis est. Solum peccatum alienum Deum facit & insensum. Tibi ergo ipsi plurimum si peccaueris incommodas.

Videri posset aliquo Herodes innocētibus obfuisse, qui profuit maxime. Nihil superesse piorum post rogū, mundi est opinio: cū tamen tum demum verè incipiat viuere. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt insipientium oculis mori, illi autem sunt in pace. Deus Opt. Max. & viuendo, & moriendo gratiam suam largiatur, Amen.

IN DIE PURIFICATIO-

NIS MARIAE EVANG. DE

Christo Iesu Luca. 2.

Leuit. 12.

Exodi. 13.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi: tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisteret eū Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctū vocabitur Domino. Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini: par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalē cui nomen Simeon.